

Nunc autem Canonicis haec quidem honoris nomina relicta sunt, sed nomina inania et dignitates ventosae vocari solent, quod nullum pene retinent vestigium pristinae potestatis.

At nomine, et re quidem vera dignitas vel officia sunt illa duo quae Concilium Lateranense IV instituit, scilicet Theologi et Poenitentiarum. Saluberrima haec institutio stabiliorem deinde formam accepit a Synodo Tridentina, quae iussit, in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, et insignioribus Collegiatis Theologum Canonicum constitui, qui divinas litteras explanaret, unamque ex Canonicalibus praebendis, ubi primum vacaverit, huic officio assignari. Jussit etiam, « in omnibus Cathedralibus Ecclesiis ubi id commode proxime vacaturae ab Episcopo institui, qui Magister sit vel Doctor, aut Licentiatum in S. Theologia, vel Jure Canonico, et annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro qualitate loci reperiatur. »

Igitur Theologi officium est, praestitutum ab Episcopo diebus et horis Scripturam Sacram explanare, aut etiam in rebus Theologicis quae ad salutem animarum spectant, Clerum et populum erudire. Qua de re multis agit Benedictus XIV de Synod. Dioecesis. lib. 13 cap. 9. Munus autem Poenitentiarum est fidelium confessiones excipere; est enim, ut ait Fagnanus in cap. GRAVE de Praeb. et Dig.: « Quasi parochus totius Dioecesis, habetque jus audiendi Dioecesanorum confessiones non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege id est a Tridentino Concilio, ideoque Ordinarius censi debet. » Ejus tamen potestas non ita late patet, ut possit casus Episcopo reservatos sine ipsius Episcopi delegatione relaxare.

Theologus autem qua die Scripturae lectionem habet, aequae ac Canonicus Poenitentiarum quamdiu in Sacro Tribunali iudex sedet, quotidianas distributiones capiunt, perinde atque choro et divinis officiis interessent. Denique Benedictus XIII in sua Constitut. PASTORALIS OFFICII ann. 1725 statuit, ut officium Theologi et Poenitentiarum per concursum

coram Episcopo et quatuor Examinatoribus magis idoneo et probato conferatur.

Sacra Congregatio Concilii in *Aversana* 21 Novembris 1829 proposito dubio, « an Episcopus polleat jure eligendi ad Praebendam Theologalem et Poenitentiarum, quem ipse inter adprobatos in formali concursu digniorem judicaverit, seu potius illum eligere teneatur quem magis idoneum in eodem concursu Examinatores renuntiaverunt », respondit « affirmative ad primam partem, negative ad secundam. » Idem confirmavit in *Urbevetana Concursus* 11 Julii 1845.

Item Archidiaconus non amplius tenetur decreto Concilii sess. 24 cap. 12 de laurea doctorali suscipienda, etiamsi in Bulla Apostolica suae provisionis sit clausula « quod infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis. » Qua de re confer Lucium Ferraris ad verba *Archidiaconus*, et *Monacelli* tom. III supplem. ad I tom. num. 212.

## § 25.

## DE ORIGINE PAROCHORUM.

Parochi sunt Presbyteri, quibus intra certos limites Dioecesis assidua et perpetua animarum cura tradita est. Hanc Parochorum germanam indolem exhibet Tridentina Synodus sess. 24 cap. 13 de Reform. dum ait: « In iis civitatibus ac locis ubi Parochiales Ecclesiae certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum quem regant, sed promiscue Sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis pro tutiore animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo licite Sacramenta suscipiant, aut alias utiliori modo, prout qualitas loci exiget, provideant. »

Primis Ecclesiae saeculis nulli exstiterunt Parochi, qui

certa hujusmodi et stabili sede proprium populum ac territorium haberent, sed unus erat totius Dioecesis Pastor et idem Episcopus, qui animarum salute procuranda, ubi opus esset, Presbyterorum opera utebatur. Hinc Tertullianus de Bapt. cap. 17 : « Dandi quidem baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dein Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate. » At numero fidelium auctum in civitatibus, tum etiam ruri, Presbyteri constituti sunt, eisque peculiaris et proprius populus assignatus est, unde Parochi duxerunt originem, quorum institutio quarto Ecclesiae saeculo antiquior non videtur. Nam Canone Dionysii Papae qui tertio saeculo vixit, non satis evincitur Paroecias ea jam aetate exstitisse, dum Canon a plerisque apocryphus traducatur. Non tamen desunt, qui tertio saeculo antiquiorem, imo vero divinam originem et institutionem Parochis tribuunt, tanquam Successoribus septuaginta duorum Discipulorum, quos Christus ipse designavit. Verum haec de divina Parochorum institutione sententia a celeberrimis Theologis et Canonistis jamdiu profligata est; qua de re jam diximus in jure publ. Ecclesiast.

## § 26.

## DE OFFICIIS PAROCHORUM.

Praecipua Parochorum officia haec sunt: 1. Dominicis et festis diebus Sacrificium pro populo offerre et applicare, qua de re confer Constitutionem Benedicti XIV incipient. CUM SEMPER. 2. Pueros rudesque personas christianae fidei rudimenta, ac vitae praecepta edocere, atque diebus etiam Dominicis, festisque solemnioribus concionem ad populum habere, eique explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt, eo tamen orationis genere, quod sit ad audientium captum atque intelligentiam accommodatum. 3. Dies festos, indulgentias, jejunia quae intra hebdomadem occurrerint, et futura

matrimonia denuntiare. 4. Praesto esse in Sacramentis Baptismi, Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis populo administrandis, eique paterna charitate et studio opitulari. 5. Baptizatos, matrimonio copulatos, et mortuos suis libris distincte diligenterque adnotare. 6. Missarum oneribus, aliisque legatis piis satisfacere, aedificia et bona Ecclesiae temporalia sedulo curare. 7. Denique oves suas agnoscere, eisque verbo et vitae exemplo praeire et in Paroecia residere.

## § 27.

## DE JURIBUS PAROCHORUM.

Gravissimis Parochorum officiis multa jura adjuncta sunt, quae idcirco Parochialia vocantur. Itaque ad Parochum pertinet 1. Jus fori poenitentialis, et ideo Parochus potestate ordinaria Parochianos suos sacramentaliter absolvit, tum in propria Paroecia, tum etiam in alieno territorio, cum jurisdictio voluntaria extra proprium territorium explicari possit. Non tamen Parochiani vetantur coram altero Sacerdote adprobato peccatorum maculas expiare. 2. Jus conferendi Baptismum ac proinde habendi fontem Baptismalem, nisi eum sibi Ecclesia matrix reservaverit. 3. Jus administrandi sacram Eucharistiam in Paschate, quo tempore Parochiani sacram Synaxim alibi sumentes sine Parochi venia Paschali praecepto non satisfaciunt. 4. Jus ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem Parochianis in periculo mortis constitutis. 5. Jus assistendi matrimoniis, et nuptiis benedicendi. 6. Jus sepe- liendi, jura stolae, aliasque oblationes, seu consueta et laudabiles praestationes accipiendi, atque etiam percipiendi decimas, nisi victui et cultui Parochorum aliunde consultum sit. Verum praeter jura Parochialia sunt etiam *functiones Parochiales* dictae, qui a Parochis fieri consueverunt, non tamen omnes *privative*, ut aiunt, ad eos pertinent, de quibus

Parochos inter, et Confraternitates laicorum, earumque Capellanos et Officiales saepius certatum est, proindeque S<sup>ae</sup> Congregationes, in primisque Congregatio Sacrorum Rituum ad avertendas lites decreta ediderunt, quae referuntur a Benedicto XIV in Instit. Eccl. 105 § 4.

Parochis illitteratis, aut curae animarum ineptis ab Episcopo etiam tanquam Sedis Apostolicae delegato Coadjutor *ad tempus* dari potest, quin imo debet ex cap. 3 DE CLER. AEGROT. et ex Tridentina Synodo sess. 21 cap. 6 de Reform., « partemque fructuum eisdem Coadjutoribus pro sufficienti victu Episcopus assignare, vel aliter providere potest. »

## § 28.

## DE PAROCHORUM CREANDORUM FORMA ET RATIONE.

Nemo Parochiali Ecclesiae praeficiendus est, qui vigesimum quartum aetatis annum non exegerit. cap. CUM IN CUNCTIS de Elect. Parochiales vero Ecclesias dignioribus conferendas esse statutum est in cap. QUONIAM de Jurepatron. ; et in cap. CONSTITUTIS de Appellat. Quae quidem res ut fideliter servaretur, in Concil. Trid. cap. 18 sess. 24 de Reform. lata lex fuit de concursu habendo in collatione Parochialium Ecclesiarum, quae ad liberam Ordinarii collationem pertinent, ut ex praevio competitorum examine is Parochiali Ecclesiae praeficiatur, qui moribus, doctrina, et prudentia caeteris antecellit. Examen autem competitorum ex eadem Tridentina Synodo coram Episcopo, vel suo Vicario, et tribus saltem Examinatoribus Synodalibus habendum est, eoque absoluto non Examinatorum, sed solius Episcopi est eum eligere quem magis idoneum judicaverit.

Ecclesiae jurispatronatus Laicorum a lege concursus solutae sunt; namque Episcopus debet Rectorem a patrono oblatum instituere, dummodo facto experimento coram Examina-

## § XXVIII. DE PAR. CREAND. FORMA ET RATIONE. 45

toribus in Synodo designatis eum ferendo muneri Parochiali parem esse comperit. Potest vero Patronus Laicus plures vel simul, vel etiam successive Episcopo praesentare; ei tamen non licet praesentationem priorum jam perfectam retractare. At vero Ecclesiae jurispatronatus Ecclesiastici conferendae sunt per concursum, ita quidem ut patronus debeat inter Competitores adprobatos ab iisdem Examinatoribus digniorem eligere, eumque Episcopo offerre: Episcopus autem praesentatum a Patrono Ecclesiastico tanquam digniorem instituere omnino debet, neque in iudicium patroni inquirere potest, nisi aliquis sit qui de eo iudicio conqueratur. Vide Benedictum XIV in Constit. REDDITE NOBIS tom. II sui Bullarii. Quin etiam ab indicendo concursu abstinendum est in Parochialibus Ecclesiis jurispatronatus mixti, ne jura laicorum ob consortium cum Ecclesiastico Patrono laedantur; quae declaratio est Congregationis Concilii die 6 Febr. ann. 1628.

Sunt praeterea Paroeciae quaedam primitivae, seu *in habitu* ut vocantur, quarum nempe cura *habitualis* cum Capitulis, Abbatiis, aliisque Ecclesiis conjuncta est; *actualis* autem per Vicarium, seu Pro-Parochum exercetur. De his Paroeciis a Tridentina Synodo sic decretum est sess. 7 cap. de Reformat. « Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, aut Monasteriis, seu Collegiis, aut Locis piis quibuscumque perpetuo unita et adnexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiae partis fructuum aut majori vel minori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione etiam super certa re assignanda ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur. » Illud vero compertum est ad Vicarium Parochialem totam animarum curam, et jura spiritualia pertinere, adeoque Vicarius proprio et ordinario Parocho comparatur. Debet tamen Vicarius sive

perpetuus, sive amovibilis ab Episcopo examinari et probari, ac proinde integrum et Episcopo praesentatum sibi Vicarium non probare, si parochiali muneri impar sit, aut congrua eidem portio non assignetur.

Vicarii autem perpetui officio suo privari non possunt, nisi legitima causa et probata, et consulto Episcopo cap. 31 De PRAEBEN. Sed Vicari temporarii, seu ad nutum amovibiles sine causa removeri possunt, dummodo dolus et omnis odii causa abfuerit; quin imo tum ab Episcopo, tum a Superiore Regulari, non requisito alterius consensu animarum privari possunt, nec unus alteri tenetur causas iudicii sui aperire; quod a Congregatione Concilii decretum est, et confirmatum a Benedicto XIV in sua Bulla FIRMANDIS edit. ann. 1744.

#### CAPUT IV.

##### DE MONACHIS ET REGULARIBUS.

###### § 29.

###### DE ORIGINE MONACHORUM ET REGULARIUM.

Personis ecclesiasticis accensentur Monachi et Regulares, de quibus postremo loco dicendum est. Jam inde ab Ecclesiae primordiis fuere, qui vitam ad Evangelica consilia accuratius exigent, ab ipsa severioris vitae exercitatione *Ascetae* dicti. Hujus vitae institutum tum viri, tum foeminae, et praecipue virgines profitebantur, quae perpetuam castitatem promittentes, ab Episcopo consecrabantur, sacramque velamen accipiebant. At in propriis domibus versabantur; si tamen minus caste viverent, aut nuptias inirent, excommunicabantur, quod ex can. 15 Concilii Chalcedonensis compertum est. Inducta vero inter mares monastica vita, paulatim factum est,

ut virgines quoque a frequentia hominum separatae, et intra coenobia perpetuam castitatem, et communem vivendi regulam profiterentur.

Quae autem fuerit monasticae vitae origo, non una est omnium sententia. Monachi primum dicti sunt, qui ut curas profanas, aut persecutiones effugerent, vel etiam ut liberius pietati et divinarum rerum contemplationi operam darent, in loca deserta et solitudines sese receperunt, inter quos primi ac nobilissimi fuerunt Paulus et Antonius Aegyptii Eremitae. Paulus quidem ejus vitae auctor, illustrator autem Antonius, qui sectatores plurimos habuit, eosque certis vivendi regulis ac legibus addixit. Videntur itaque non procul a veritate abesse, qui monasticae vitae institutum Paulo et Antonio acceptum referunt. At vero monasticum institutum aedificatis monasteriis, et inducta communi vita Pacomius et Basilius in Oriente perfecerunt, in Occidente autem S. Athanasius primus induxit, et dein S. Benedictus absolvit, et longe lateque diffudit. Benedictus enim aut primus, aut certe inter primos et communem regulam tradidit, et solemnis professionis formulam praescripsit, ut Monachi ad perpetuam ejusdem regulae observantiam adstringerentur, cum antea « tot propemodum typi ac regulae essent, quot cellae ac monasteria » ut ait Cassianus lib. 2 Instit. cap. 2.

Monasticum Institutum ad Benedictinae regulae normam stetit ad saeculum usque nonum, quo tempore cum aliquid remittere de pristina disciplina visum esset, ad illam instaurandam ortae sunt Congregationes Cluniacensis, Camaldulensis, Vallis Umbrosae, Cisterciensis, aliaeque, unde monasticum institutum, quod antea ferme unum erat, in plures Ordines divisum est, et nova itidem monastica Instituta inducta sunt.

Canonici Regulares, uti supra diximus, ineunte saeculo nono clericalem statum cum vita monastica conjunxerunt, et regulam a S. Augustino exaratam passim amplexati sunt,